

36. Si quis enim sanguinem tropicè velit intelligere apud Matthæum & Marcum: id statim Lucas prohibet: Siquidem appellatio Novi Testamenti obstat, quæ per figuram nullam à propria significatione dimoveri potest.

37. Iam Cœna Domini, Novum dicitur Testamentum, non quia vinum in ea bibimus: Sed in sanguine Christi: Quia hic est sanguis Novi Testamenti, ut Matthæus & Marcus loquuntur: hoc est: Cœna Domini propterea novum est Testamentum, quia in ea accipitur & bibitur sanguis Christi, qui est sanguis Novi Testamenti, distinctus à typico & figurato sanguine victimarum, quo vetus Testamentum olim erat sancitum.

38. VI. Cui interpretationi subscribit Apostolus Paulus, ea ad rei veritatem propriissimè accedit.

Atqui Paulus ei interpretationi subscribit, quæ servat in verbis institutionis τὸ πῆτον.

Ergo.

39. Assumptionis veritas patet ex 1. Cor. 10, 16. ubi hunc in modum Sacramentum hoc describit Apostolus: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne κοινωνία communio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne κοινωνία communio est Corporis Christi?

40. Hinc talis petitur collectio: Si in verbis Cœnae, particula (EST) idem denotat ac SIGNIFICAT:

FICAT: